



1080097496



OMAGGIO
PER IL LXXI.° GENETLIACO

DEL


COMMENDATORE

GIOVANNI BATTISTA DE ROSSI



Si premette una lettera latina di S. Eminenza il Cardinal PAROCCHI
ed un'epigrafe del Comm. ILARIO ALIBRANDI.

Fa appendice un'elogio latino
scritto da Monsignor GENNARO ASPRENO GALANTE.



SCIENTIARVM · DOMINVS

ET · BONORVM · SOSPITATOR

DEVS

QVI · TIBI

IOANNES · BAPTISTA · DE · ROSSI

SEPTENOS · DECIES · ANNOS · VITAE · ACTVOSISSIMAE

EXPLERE · DEDIT · FELICITER

PERDIV

TE · NOBIS · PRAESTET · ADHVC · INCOLVMEM

QVO · MAGIS · FLOREAT · OPE · STVDIISQVE · TVIS

DIVINARVM · RERVM · ET · HUMANARVM · SCIENTIA

VETVSTATIS · MONVMENTIS

ET · HISTORIAE · LVMINIBVS · ILLVSTRATA

HILARIVS · ALIBRANDIVS.

PAVLO · MARIAE · BAVMGARTEN

E · NOBILIVM · CLERICORVM · ACADEMIA


LVCIDVS · MARIA · PAROCCHI

CARDINALIS · EPISCOPVS · ALBANVS

SALVTEM · PLVRIMAM · DICIT

DE IOANNE BAPTISTA DE ROSSI, viro ubique gentium
celeberrimo, paginas magni ponderis exarasti.
Quamvis enim animo non proposueris, chri-
stianae antiquitatis principem et cum eo sacrae
archaeologiae praestantiam nova ampliorique luce perfun-
dere; quae tamen in utraque re obiter delibasti, cum do-
ctissimi hominis merita, tum disciplinae, quam annis ab hinc
quinquaginta felicissime excolit, nobilitatem gravitatemque
probasti.

I. B. DE ROSSI unus post BOSIVM, eoque longe excellen-
tior, VRBIS egesta hypogaea revelavit; et, quod haud minus
interest, hypogaeorum tam veteres notiones, quam recentiores
severissime excussas, ad scientiae dignitatem evexit. Quod
igitur sacris disciplinis et animorum pietati insperatam eruta
monumenta opem attulerint, dum fidei dogmata ab erran-
tium explicant difficultatibus, et vivam christiano populo
atque ab iconibus spirantem exhibent catechesim, haec omnia
tanto viro accepta referimus.



VIRO · ILLVSTRISSIMO · ET · CELEBERRIMO

IOANNI · BAPTISTAE · DE · ROSSI

S.

Sed catholicum hominem potissimum expingebas. Modestiam eruditioni parem; eundem morigerum omnibus; patrem familias solertissimum; alumnis ceu parentem benevolum; sapientiae prodigum; ECCLESIAE et APOSTOLICAE SEDI addictissimum.

Id factum gratulor Tibi ex animo, spe nixus, fore ut adversarii, dum arctum pietatis foedus cum doctrina suscipiant, iter ad catholicam fidem aliquando moliantur.

Nec finem faciam priusquam Tibi, optimae spei iuvenis, fausta quaeque adprecer simulque votum proferam, ut opus quod patrio idiomate tam scite scripsisti, linguis redditum vulgatioribus, in publicam utilitatem amplius innotescat.

EX · AEDIBVS · VICARIATVS

PRIDIE · NONAS · MARTIAS · ANNO · MDCCXCII

Si cui quattuordecim lustris peractis se officiis publicis privatisque nunquam defuisse profiteri licet, atque ad eundem amici innumeri miratoresque circumfusi uno omnes ore laudes summas congerunt, quippe qui diurnum per aevum

, *virtutis verae custos rigidusque satelles* ‘

fuerit, votisque impensis expetunt

, *serus in caelum redeas, diuque*

, *laetus intersis populo Quirini,* ‘

diem festum DEI benevolentia datum duplici triplicique gaudio ille aget.

Tu, IOANNES BAPTISTA DE ROSSI, cuius studia, quantumque potui, persequi conatus sum, hoc die ne mea quidem vota sernes, veniamque dabis, quod

, *tenuis grandia* ‘

ausus ea, quae attento ingenii acumine non minus quam fausta fortuna usus aperuisti, investigasti, promulgasti, primus complecti atque Tuis ipsis oculis offerre susceperim.

Vir ille clarissimus eademque, qua flores, scientia illustrissimus, THEODORVS MOMMSEN, *, luminis ITALIAE* nomine Te exornavit; sed magis etiam equidem admiratione Tui abripior, ut verba poetae in Te referri velim

, o SOL

, pulcher, o laudande, ‘

qui illuminasti caecos per coemeteria christiana errantes. Italicarum es

, grande decus columenque rerum. ‘

Quod aequalibus praestitisti eodem erit numero atque honore apud posteros, ut optimo iure VATIS VENVSINI vocem vindicare Tibi possis:

, Exegi monumentum aere perennius,

, Regalique situ pyramidum altius;

, Quod non imber edax, non Aquilo impotens

, Posset diruere, aut innumerabilis

, Annorum series et fuga temporum. ‘

Quoad scientia archeologiae christiana, cuius Tu exstitisti auctor parensque, vigebit, homines nomen Tuum laudibus summis efferent temporaque Tua lauro aeternae gloriae redimient.

Licet hodie totus mundus Tibi assurgat plaudatque, ac nomen Tuum, quocumque sub sole homines litterarum studiis vacant, resonet; ROMA tamen primum salutantium locum tenere debet. Nam

, Tu civitatem qui deceat status

, Curas et Vrbi sollicitus ‘ es.

Ac summis mihi certe pro deliciis est, quod oculis videre mihi licet, quomodo hac in VRBE AETERNA Te, tam egregie de salute gloriaque eius meritum, celebrare omnes inter se certent. Multos ROMA habet alumnos quibus exultet; sed nullum maiore plausu prosequitur, quam Te. Quisquis Tua consuetudine usus est, quod ex uberrimo Tuo ingenio quasi ex fonte perennis aquae

vitreo haurire potuerit, summum fortunae donum semper putabit.

Primoribus aequales Te adscripserunt PRINCIPEM ARCHAEOLOGIAE CHRISTIANAE Te vocantes, vereque es PRINCEPS, licet qua es modestia titulum hunc semper reieceris. Sed qui tempora corona laudis litterarum splendida cinxit, mundi regibus aequus est et antistat.

Via triumphalis, quam ingressus es, nondum absoluta est; immo multos etiam per annos Te lucubrationum Tuarum fructus in lucem prolatrum speramus, imprimis vero opere illo eximio, quo incepto iam immortalitate nomen Tuum donasti, ad finem perduto novum coronae Tuae folium brevi Te additum confidimus. Itaque

, dum procedis » io triumphhe! »

, non semel dicemus » io triumphhe! »

, civitas omnis dabimusque DEO

, tura benigno. ‘

Dabam ROMAE PRIDIE KAL. APR. MDCCXCII.

Ex AEDIBVS PONTIFICIAE ACADEMIAE NOBILIVM ECCLESIASTICORVM

PAVLVS MARIA BAVMGARTEN.

